

9. Clamate hoc in Gentibus, sanctificate bellum, fuscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores.

10. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum.

11. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.

12. Confurgant, & ascendant Gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebat iudicem omnes gentes in circuitu.

\* Apoc. 14. 15.

13. \* Mittite falces, quoniam maturavit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.

14. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis.

\* Supr. 2. 10. & 31. \* Jer. 25. 30.

15. \* Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

16. \* Et Dominus de Sion rugiet, & de

Amos 1. 2.

\*\*\*\*\*

## PROPHETIA AMOS.

**A**Mos populus avulsus latine dicitur, hoc nomine, Israëliti populi, qualis his temporibus erat, typum gerens. Is inter pecuarios Thecuanos in Iudaa fuit. Ad propheticum munus in regno Israël obeundum missum se testatur biennio ante terra motum, quem circa annum Ozia regis 23. (Ann. M. 3216. ante aram Christi 788.) factum recte fortassis arbitrantur Iudaei; in eo tamen lapsi quod eundem referunt ad annum, quo lepra percussus est Ozias ille: etsi eos secutus, idem tribus locis referat Hieronymus. Nam lepra percussus est Ozias iam senex, cum officium sacerdotale usurpare voluit, quo tempore iudicabat populum terræ filius eius Ioathan. Nativitatem vero Ioathami quinquennio integro præcessit mors Ieroboami, sub quo tamen eum terra motum evenisse affirmat noster Prophetas.

Probat id ex historia Regum. Ozias, qui & Azarias anno vita 16. regnum iniit ac per 52. obtinuit; atque ita anno 68. natus, mortuus est. Filius vero eius Ioathan, annorum 25. erat, cum regnare cepit. Ergo anno 43. patris natus est. At Ieroboam mortuus est anno 38. Ozia. Ergo toto quinquennio præcedit eius mors nativitatem Ioathami. Vide 4. Reg. 15. & 2. Paral. 26. & 27.

### CAPUT PRIMUM.

Tempus prophetie Amos: ultio Domini in Damascum, Philisthaos, Tyrum, Idumæam, & Filios Ammon, quos super quatuor sceleribus non convertet.

**V** Erba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue: quæ vidit super Israël in diebus Ozia regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israël \* ante duos annos † terræ motus.

\* Zach. 14. 5. † Vide titulum libri. \* Jer. 25. 30. Ioel. 3. 16.

2. Et dixit: \* Dominus de Sion rugiet,

Ierusalem dabit vocem suam: & movebuntur cali, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israël.

17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion monte sancto meo: & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.

18. \* Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.

19. Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quod iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

20. Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem & generationem.

21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram: & Dominus commorabitur in Sion.

& de Ierusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatu est vertex Carmeli.

3. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum: eod quod tritruaverint in plaustris ferreis Galaad.

4. Et mittam ignem in domum Azaël, & devorabit domos Benadad.

5. Et conteram vestem Damasci \* : & disperdam habitatorem de campo idôli, &

Rasim Damasci regem occidit. Atque ita regnum illud in Razione ceptum, (3. Reg. 11. 23.) in Rasine finitum est, 4. Reg. 16. 9.) per decem generationes continuatum. Ioseph. Ant. 7. c. 6.

tenentem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syria Cyrenen, dicit Dominus.

6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gázæ, & super quatuor non convertam eum: eod quod transfulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa.

7. Et mittam ignem in murum Gázæ, & devorabit ædes eius.

8. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & convertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.

9. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non convertam eum: eod quod concluderint captivitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis fratrum.

10. Et mittam ignem in murum Tyri, & devorabit ædes eius.

11. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum: eod quod violaverit misericordiam eius, & tenuerit ultra furorem suum, & indignationem suam servaverit usque in finem.

12. Mittam ignem in Theman: & devorabit ædes Bosræ.

13. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non convertam eum: eod quod disseverit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.

14. Et succendam ignem in muro Rabba: & devorabit ædes eius in ululatu in die belli, & in turbine in die commotionis.

15. Et ibit Melchom in captivitatem, ipse, & principes eius simul, dicit Dominus.

### CAPUT II.

Ultio Domini in Moab, Iudam & Israël, hisque minatur interitum, quem effugere non poterunt: quia acceptis beneficiis semper fuerunt ingrati, Deique legem abiecerunt.

\* 1. Primogeniti eius qui regnatus erat post eum. 4. Reg. 3. 27.

**H**ÆC dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non convertam eum: eod quod incenderit ossa regis \* Idumææ usque ad cinerem.

2. Et mittam ignem in Moab, & devo-

rabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ:

3. & disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus.

4. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non convertam eum: eod quod abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit: de ceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.

5. Et mittam ignem in Iuda, & devorabit ædes Ierusalem.

6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.

7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant: & filius ac pater eius ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.

8. Et super vestimentis pignoris accubuerunt iuxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.

9. \* Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & contrivi fructum eius desuper, & radices eius subter.

10. \* Ego sum, qui ascendere vos feci de Terra Ægypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis ut possideretis Terram Amorrhæi.

11. Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, & de iuvenibus vestris nazaræos: numquid non ita est filii Israël dicit Dominus?

12. Et propinabitis nazaræis vinum: & prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis.

13. Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum sæno.

14. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam:

15. & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non salvabitur, & ascensor equi non salvabit animam suam:

16. & robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.